



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt I. Quibus Authoritatibus & rationibus dicunt Pagani, seu Mahometani, Christum conceptum fuisse de Flatu Dei communi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

INCIPIIT LIBER IV.

Contra Paganos, seu, Mahometanos.

CAPVT I.

*Quibus Authoritatibus & rationibus dicunt Pagani,
seu Mahometani, Christum conceptum fuisse
de Flatu Dei communi.*

NVNC contra Mahometi, discipulos stili
vestigium vertamus. Cuius Mahometi
monstruosa vita, monstruosior Secta, mon-
struosissimus finis, in gestis eius manifestè repe-
ritur: qui maligno spiritu inspiratus, Sectam
abominabilem inuenit, carnalibus voluptati-
bus consonam; & idèd, multi carnales eius se-
cta illecti, & per errorum varia principia deie-
cti, miserabiliter perierunt, & pereunt; quos
communi, vulgo, vocabulo, Saracenos vel Pa-
ganos nuncupant; qui cum Christianis in hoc
consonant, quod vnum Deum, vniuersorum
creatorem affirmant; in hoc tamen cum Iudæis
conueniunt, quod in diuina vnitatem trinitatem
abnegant. Ad quos confutandos, quæ contra
Iudæos de vnitatem & trinitatem diximus, dicta
sufficiant. Illi non in omnibus Moisaicæ legi
concordant, sed ad suum natum, ab vtraque
quædam excipiunt, quæ obseruanda esse asse-
runt; non ratione ducti, sed voluntate tracti. Il-
li asserunt Christum natum de Virgine, & Ma-
riam Virginem permansisse, & Christum de
Spiritu Dei, id est, de flatu Dei conceptum fuisse.
Spiritus autem Dei non intelligunt tertiam
in trinitatem personam, sed potius naturalem fla-
tum, quem reperimus in homine, & in omni
alio animante. Dicunt etiam Deum insufflasse
in Beatam Virginem, & ita de illo flatu Virgi-
nem concepisse. Quod volunt autoritate &

ratione probate. Ait enim autoritatis: [a] Fla-
bit Spiritus eius, & fluent aqua. Spiritum istum di-
cunt naturalem Dei flatum. Et in Genesi legi-
tur: [b] Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Hoc
sic intelligunt: Deus flatu suo inspirauit, vel in-
sufflauit in corpus Adæ, & ita creatus est spiri-
tus in Adam illo flatu diuino. Et de eodem fla-
tu intelligunt quod legitur in Euangelio: [c] In-
sufflauit Christus in discipulos suos, & ait, accipite Spi-
ritum sanctum. De eodem item intelligunt,
quod dicit Gabriel ad Mariam: [d] Spiritus san-
ctus superueniet in te. Et illud, quod Christus dici-
tur esse conceptus de Spiritu sancto, ex Virgi-
ne Mariâ. Ratione etiam idem volunt adstrue-
re: Virgo Mariâ per se (alio nō mediante) Chri-
stum non genuit, nec de virili femine eum con-
cepit, nec diuinâ substantiâ; ergo de quodam
medio inter rationalem creaturam & Deum:
sed quid est illud medium supra hominem, &
infra Deum, nisi flatu diuinus, quo insufflata
peperit virgo Mariâ. Si flatu materialis im-
prægnat terram, & facit eam germinare, quid
mirum, si flatu diuinus fecundauit Mariam?

CAPVT II.

Solutio Christianorum ad præmissa.

AD hoc respondemus, quod illi qui hæc
conantur asserere, indigent sensu, & præ-
nâ, idèd enim materialis flatu non est, quia ip-
se in incorporeâ substantiâ est, nec habet in-
strumenta flandi vt fauces, &c. Si enim corpo-
reus esset, variabilis esset nec in omni loco in-
circumscriptibilis esset. Quod autem incorpo-
reus sit, probatione non indiget, cum omnis
ratio tam humana quam diuina hoc itrefragabi-
liter affirmet. Flatu ergo Dei, siue Spiritus
Dei, dicitur Spiritus Sanctus, qui procedit à
Patre & Filio, de quo dicitur in Genesi:
Spiritus

(a) Psal 147 v. 18. (b) Gen. 2. 7. (c) Ioannis 20. [c] Luca 1. 35.